IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 174r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



habui in hijs que precipiuntur in lege tua

Hec nox aduersitatis facta est michi sed in hac aduersitatis nocte ad utilitatem iustificaciones tuas exquisiui homo enim in aduersitate magis querit iustificari quam in prosperitate

Propheta in persona viri iusti qui reliquit mundi superbiam bonorum fastigia diuiciarumque iactanciam ait Domine tu es porcio mea non elegi michi in partem aurum uel aliquid mundanum sed te solum qui es vera via ad beatitudinem quia te in partem meam elegi deliberaui et decreui apud meipsum custodire legem tuam

Proposui custodire legem tuam sed quia viribus meis non confido Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo miserere mei secundum eloquium tuum quod promisisti ut peccatorem in mortem non obrueres sed mia consolares

Miserere deprecor quoniam Cogitaui diligenter vias meas priores et cogitaui quod non erant recte et ideo conuerti pedes meos .i. affectus meos in testimonia preceptorum tuorum et ut ibi haberem viam quia illa non sunt errare

Proposui custodire legem tuam sic quod etiam Paratus sum promptam voluntate ut custodiam mandata tua et non sum turbatus aduersis me undique circumstantibus quia propter christum paratus sum aduersa omnia sustinere

Non turbor in aduersitate patet quoniam Funes .i. deceptiones iniquas obprobrium iacula et alia impedimenta quibus me inimici mei post se trahere conantur circumplexi sunt me ex omni parte frustra tamen quia legem tuam non sum oblitus

Vere non sum oblitus quia Media nocte surgebam ad laudandum te de omnibus gratias agens etiam de hoc quod me iudicabis flagellandum ut iustificaris quia hoc signum est quod sum de familia tua

Quid per singula Particeps ego sum omnium timencium te